Neomagum adeunti, præstantissimum civem, et amicum optimum conueniendi facultas eripitur. Vale raptim Grauiæ IIX Cal: Octob: CIƆIƆCXL.

In epigrammate quod heri a me acceperis dubito an non pro cunas Roma, parentes Imputatæ ~~seri~~ ut in aduersariis est, scripserim cunas Roma, nutricem quod prosodia non ferret. Si sic erraui, quod facile condones, si videas, quam hic procul a secessu et otio poetarum sim, quæso ut emendes.

(292).

Bannio

Dum in itinere fui, Vir Amplissime, quod comite te perhonesto, perutili, ac perjucundo nuper auspicabamur, ad ultimum septentrionem nostrum, plerasque has mediâ coeli zonâ terridiores chartas accepi, tibi ut intelliges, tradendas. Vide quos crabrones irritaueris, et si quid repositurus es, mihi quoque in antecessum candidus imperti. memor interim promissi Monochorduli ac cæterorum quæ te erudiendo mihi amicè præstiturum pollicebare. Etenim Theoriâ tenus refractarium tironem numquam me habuisti, aut habiturus es, nec ipsos quidem opinor Gallos. Ad regulas modò quas ab eo deductas satis pro imperio præscribere videris, est quod non uno trihorio dissertemus ac decertemus. Vale Vir doctissime atque amicissime, et hæc scripta, cum eorum te satias cæperit remitte. Scribo Hagæ Com: v. Id: Dec: CIƆIƆCXL.

Tuus.

Ioanni ab Holtzen
Præposito Plessensi.

Nobilissime Domine

(293).

Injunxit mihi celsissimus Princeps meus, ut ad literas quas Duijsburgo ad ipsum scripsisti, paucis reponerem si vel Suecos vel Francos adire paras, per se quidem licere, verum cur vel hoc vel illud suo mandato fiat, nihil ~~esse~~ caussæ esse. Proinde utramcumque in partem inclines tuæ potestatis, et arbitrii rem esse. de milite denuò hic conscribendo falsissimi rumores sunt: quin si ordines audiamus, pridem in exauctorandis copiis simus quas veteri militiæ ante quinquennium et quod